Nf. 60. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791630-p0002-8

DE

GAZA DERELICTA FVTVRA

AD ILLVSTRANDVM LOCVM ZEPH. II, 4.

DISSERTATIO POSTERIOR.

QVAM

S. REV. ORDINIS THEOL. AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS

D. XXI. APRIL. A. CIↃIↃCCLXVIII

CONSEQVENDIS

EXHIBET

IOANNES FRIDERICVS BVRSCHER

SS. THEOL. LICENT. ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

DESIGNATVS, PHILOS. PROF. EXTRAORD. COLLEGII MAIORIS

PRINCIPVM SODALIS ET H. T. PRAEPOSITVS.

LIPSIAE,

LITTERIS VDALRICI CHRISTIANI SAALBACHII.

DE GAZA עזובה VEL DERELICTA FVTVRA,

AD ZEPHAN. II, 4.

DISSERTATIO POSTERIOR.

§. XXX.

Connexio cum Dissertatione priore.

Coepi nuper illustrare ZEPHANIAE de *Gaza* עזובה vel *Derelicta futura* praedictionem. Quod vt ordine aliquo fieret, primo omnium de *auctore* vaticinii ac *tempore* publicationis, (§. II.) nec non de *connexione* eius cum antecedentibus et consequentibus (§. III.) *sensu*que verborum *grammatico*, (§. IV. V.) quantum satis fuit, disserui. Quo facto GAZAE ipsius *situ*, (§. VI.) *nomine* (§. VII. VIII. IX.) et *antiquitate vltima* vsque ad ZEPHANIAE aetatem (§. X.) expositis, vt de euentu praedictionis quilibet recte iudicare posset, coepi *veram vrbis historiae ideam* ex monumentis omnium aetatum fide dignis eruere. (§§. XI. seqq.) Nondum vero ad finem perueni, sed tantum historiam *Gazae primae*

et *secundae* in ordinem redegi, et ab erroribus falsisque opinionibus, quibus hactenus infecta ac deformata fuit, mundaui. Igitur vt nunc omnem rem absoluam, duo adhuc agenda mihi erunt. 1) GAZAE HODIERNAE, quae mihi *Tertia* vocabitur, ORIGO et HISTORIA inuestiganda, ne eam cum *prima* et *secunda* confundamus, sed ab vtraque distinguamus, errorem scriptorum recentiorum vitantes. 2) Deinde IMPLETIO ZEPHANIANAE de *Gaza* PRAEDICTIONIS e contextu totius historiae ostendenda. Faxit Deus feliciter!

§. XXXI.

XIV. Gaza hodierna seculo demum XII. temporibus expeditionum cruciatarum initium cepit, a Christianis condita eo loco, vbi ruinae Gazae secundae conspiciebantur, estque Gaza tertia, et per varias mutationes haec nostra tempora attigit.

Qui post tempora expeditionum cruciatarum *itineraria* scripserunt, inter *Palaestinae* oppida GAZAM quoque referunt, vel potius GAZERAM; pro *Gaza* enim hodie plerumque *Gazera* dicunt [a]). Hi vero tantum non omnes, historiam ignorantes, *Gazam* hanc *nouissimam* cum antiquissima ipsa seu *prima* confundunt, ita de illa loquentes, ac si huius residuum aliquod esset, licet ne cum *secunda* quidem, praeter nomen ac situm, commune ei sit quidquam. Quare ne quis erroribus his decipiatur, vera *Gazae hodiernae* origo breuiter ostendenda est.

§. XXXII.

Gazae hodiernae prima origo, ex Willermo Tyrio, scriptore coaeuo et αὐτόπτῃ.

Gazae hodiernae, vel *tertiae*, origo inuenitur temporibus expeditionum cruciatarum, et quidem seculo post Christum XII. Condi enim coepit anno 1148 iussu BALDVINI III, Hierosolymorum regis,

a) Vid. ADRICHOM. in Theatro Terrae s. p. 134. a. BERNH. A BREITENBACH in Itinerario german. p. 134. ANDR. THEVET. in Cosmogr. orientis c. 44. p. 155. 10. COTOVICVS in itinerario Hierosol. et Syr. L. III. c. 1. p. 328. etc.

regis, a *Christianis*, ea mente vt ipsis propugnaculo esset contra *Saracenos* Aegyptiacos, Palaestinam et Hierosolyma crebrioribus ex *Ascalone* factis excursionibus infestantes. Condita vero fuit in parte quadam collis, vbi ruinae *Gazae secundae*, inde a multis temporibus desertae, conspiciebantur. Testantur id scriptores coaeui, qui eo tempore in *Palaestina* fuerunt et oculis omnia conspexerunt. WILLERMVS enim, seculo XII ab anno 1174 *Tyri* Archiepiscopus, qui iussu AMALRICI Hierosolymorum regis historiam scripsit, narrat: „*Balduinum III*, Amalrici in regno antecessorem, quo melius coërce„ret Saracenos, *Ascalonem* adhuc tenentes et crebrioribus inde ex„cursionibus factis Christianos infestantes, anno 1148 *Gazam*, decem „milliaribus versus austrum ab *Ascalone* distantem, eo tempore diru„tam et habitatoribus carentem, restaurare secum constituisse, et „consilio suo publicato Christianos consentientes habuisse. *Die igi„tur statuta* (pergit) *conuenit vniuersus populus quasi vir vnus ad praedi„ctum locum, et opus vnanimiter adgressi vrbem certatim reaedificare conten„dunt. Fuerat autem eadem Gaza ciuitas antiquissima, vna de quinque „vrbibus Philistiim, aedificiis praeclara, cuius antiquae nobilitatis in eccle„siis „et amplis domibus, licet dirutis, in marmore et magnis lapidibus, in multitu„dine cisternarum, puteorum quoque aquarum viuentium, multa et grandia „exstabant argumenta. Fuerat autem sita in colle aliquantulum edito, ma„gnum satis et diffusum intra muros continens ambitum. Videntes autem „nostri, quod non satis expediret, nec fortasse praesentis temporis vires suffi„cerent, vt tota reformaretur, partem praedicti collis occupant, — opus „muro insigne et turribus aedificant, et in breui — consummant feliciter. „Consummatum etiam et partibus suis absolutum — fratribus militiae tem„pli custodiendum et perpetuo cum vniuersa adiacente regione possidendum „committunt [b]).„

§. XXXIII.

Eadem origo ex eodem Willermo et Iacobo de Vitriaco.

Idem WILLERMVS alio loco, vbi SALADINI, contra *Gazam* hanc nouissimam et recens conditam, expeditionem refert, anno septi-

b) Vid. WILLERM. TYR. Histor. *sta Dei per Francos* Tom. I. Hanouiae
Lib. XVII. cap. 12. p. 917. inter *Ge-* 1611. fol.

mo AMALRICI regis factam, ita de origine eius: »*Fuit Gaza*, in»quit, *olim vrbs antiqua Philistaeorum, — cuius etiam hodie vetustae nobi»litatis in nobilibus aedificiis multa exstant argumenta. Iacuit autem multis »temporibus deserta, ita vt nec vno incoleretur habitatore, quousque Dominus »Balduinus, ill. mem. Hierosolymorum rex quartus, ante captam Ascalonam, »collectis regni viribus et publicis sumtibus, castrum in quadam parte ciuitatis* »(Gazae secundae dirutae) *munitum satis aedificauit, constructumque sta»tim fratribus militiae templi donauit iure perpetuo possidendum. Castrum »ergo totum collem, supra quem ciuitas fundata fuerat, — non potuit occu»pare; sed conuenientes quidam ad loci illius habitationem, vt tutius ibi mo»rarentur, reliquam partem collis portis et muro, sed humili et infirmo, ten»tauerunt munire* [c]). » Atque in his omnibus cum WILLERMO consentit IACOBVS DE VITRIACO [d]), qui seculo XIII episcopus Acconensis in Palaestina fuit, et postea Romae Cardinalis diem supremum obiit. Quamquam vero vterque discrimen inter *Gazam primam* et *secundam* ignorauerit; tamen nos docet, *Gazam hodiernam* seculo demum duodecimo aerae christianae, anno 1148, initium cepisse. Eam vero *Gazam* esse TERTIAM, inde adparet, quod in locum *secundae* successit. Mutationes varias subiit, ante quam sub specie hodierna haec nostra attigit tempora, quas breuiter iam per omnia secula depingam.

§. XXXIV.

Prima Gazae hodiernae facies seculo XII. Eius per Saladinum euersio, per Richardum Anglum restauratio, et noua destructio.

Patet ex locis scriptorum coaeuorum adductis, *Gazam* anno 1148 conditam non nisi castrum fuisse, muro ac turribus munitum, Templariisque traditum, qui contra Saracenos illud defenderent. Castro vero exstructo, Christiani nonnulli, quo tutius habitarent, in reliqua parte collis sedem ac domicilium constituerunt, collem portis ac muro, sed *humili ac infirmo*, munire tentantes [e]). Sed non diu in ea

c) Idem L. XX. c. 21. p. 987.

d) IACOBVS DE VITRIACO in Historia Hierosol. abbreuiata L. I. c. 40. p. 1070. T. I. *Gestorum Dei per Francos.*

e) WILLERM. TYR. Hist. L. XX. c. 21. p. 987.

ea securitate viuebant. Anno enim 1169, septimo *Amalrici* regis Hierosolymorum christiani, fratris *Balduini III*, primi *Gazae* restauratoris, SALADINVS, qui tum belli dux erat Sultano Aegyptio, sed quatuor annis post a Damascenis rex adpellatus, domino suo interfecto, Aegyptum sibi subiecit, magno cum exercitu ex *Aegypto* venit, *Gazam* hanc nouam, sola arce aliquandiu resistente, cepit, muros ac domos solo aequauit, et quos ibi inuenit Christianos interfecit [f]). Postea anno 1191 RICHARDVS Angliae rex, in Palaestinam veniens, „*Gazam reparatam tradidit Templariis, ad quos ante pertinebat, vt ipsam „custodirent* [g]);" id quod de solo castro intelligendum esse censeo, oppidum enim tunc erat nullum. Anno vero sequente SALADINVS coëgit Christianos, pace cum *Richardo* facta, vt ipsi castrum suum rursus demolirentur [h]). Igitur per aliquod tempus nemo sedem vel domicilium ibi comparare sibi potuit, propter temporis infelicitatem.

§. XXXV.

Eiusdem facies seculo XIII et Brocardi de ea narratio.

Sequentia tempora loco nostro magis fauebant. Collis enim cum propter situm suum vtilis esse posset, sensim ac pedetentim instauratus est, ita vt seculo XIII ibi conspiceretur vicus vel pagus quidam, *Gazera* vel *Gazara* dictus, quo nomine ad nostra vsque tempora venit, licet Arabes vetus *Gazae* vel *Azae* nomen retineant. Circa annum 1283 BROCARDVS, siue BORCHARDVS, Monachus Germanus, in *Palaestina* fuit, qui etsi nihil de *Gaza* memoratu dignum refert, tamen eam tum temporis habitatam fuisse docet. „*Ab Ascalone*, inquit [i]), *duabus* (melius *quinque* [k]) *leucis contra austrum est Gaza, „in litore quoque maris sita*, (ita tamen, vt viginti circiter stadiorum in-

 teruallo

f) WILLERM. TYR. l. c. IAC. DE VITRIACO Hist. Hierosol. abbreu. L. I. c. 99. p. 1122.

g) Verba sunt IACOBI DE VITRIACO L. I. c. 100. p. 1123.

h) IAC. DE VITRIACO l. c.

i) Vid. BROCARDI Monachi Descriptio terrae sanctae c. X. p. 1057. in VGOLINI Thes. Ant. sacr. Vol. VI.

k) Sic in editione antiquiore legitur, quae *Magdeburgi* 1587. 4. prodiit, et BARTHOLOMAEI DE SALIGNIACO Itinerarium Hierosol. adiunctum exhibet.

teruallo a mari abfuerit [l]), *„quae nunc communiter Gazara adpellatur, et „tranſit per eam via in Aegyptum.„*

§. XXXVI.

Status eius ſeculo XIV ex Rudolpho Canonico, Rudolpho a Frameynſperg et Guilielmo a Baldenſel.

Seculo XIV RVDOLPHVS, Canonicus Suchenſis, Weſtphalus, *Palaeſtinam* vidit, iter faciens diuturnum ab anno 1336 ad 1350. Hic refert: *„Gaza liegt itzo wüſte;„* et poſtea: *„Die Städte im Philiſter-„lande ſind zu kleinen Dörflein geworden* [m]).„ Patet ex hac relatione, *Gazeram* eo tempore miſeram ſpeciem habuiſſe, quia RVDOLPHVS eam vocauit deſertam. Interea tamen RVDOLPHVS A FRAMEYNSPERG, nobilis Bauarus, qui anno 1346 ibi fuit, contrarium narrare videtur. Dicit enim, *Gazeram* ſibi viſam eſſe maiorem *Landshuto* Bauariae oppido [n]). Ambo vero conciliari poſſunt per tertium quemdam, GVILIELMVM A BALDENSEL, qui anno 1336 poſt ſuum e *Palaeſtina* reditum ſcripſit. Is primo generatim refert: Vrbes *Philiſtaeae* omnes factas eſſe pagos, vel vicos exiguos. Deinde vero de *Gazera* ſpeciatim: hanc, inquit, ſatis magnam et habitatam fuiſſe [o]); quod quidem verum eſt, ſi eam cum reliquis *Philiſtaeae* pagis, qui tunc fuerunt, compares.

§. XXXVII.

Facies eius ſeculo XV ex Tuchero, Breitenbachio et Zimbero.

Ex ſeculo XV tres αὐτοπτας producam, qui *Gazerae* ſtatum eo tempore nobis deſcriptum dederunt. Primus eſt IOANNES TVCHERVS, ciuis Norimbergenſis, qui anno 1479 et 1480 iter fecit. Verba

1) Conf. quae de ſitu Gazae §. VI. et ſub finem §. XXVI. dixi.

m) RVDOLPHS *Beſchreibung der Reiſe ins gelobte Land p.* 832. Vid. *Reiſebuch des heil. Landes, Frankf. am Mayn,* 1609. fol.

n) RVDOLPHI A FRAMEYNSPERG Itinerar. in HENR. CANISII Lection. antiqu. T. VI. *Ingolſtadii* 1604. 4. p. 324.

o) GVIL. DE BALDENSEL, equitis aurati Hieroſol., Hodoeporicon ad Terram S. p. 107. 108. Exſtat in HENR. CANISII Lect. ant. T. V.

Verba eius haec sunt: „*Gazera ist eine grosse Stadt, zweymal so gross* „*als Ierusalem. Sie ist aber übel gebauet, mit gekleibten Steinhäusern ge-* „*macht, und auf zwo welsche Meilen vom Meere gelegen. Auf dem Wege* „*dahin wohnen viele Araber, derohalben der Weg gar unsicher zu ziehen* „*ist* p).„ Hunc excipiat BERNHARDVS A BREITENBACH, Decanus et Camerarius ecclesiae Moguntinae, qui iter suum confecit anno 1483. Is de *Gazera* ita loquitur: „*Von Aschalon* (ab Ascalone) „*fünf Meilen gegen Mittag ist Gaza, auch am Meere gelegen,* (attamen viginti fere stadiorum interuallo a mari distans,) „*und heisset itzt ge-* „*meiniglich Gazera, und gehet da durch die Strasse in Aegypten* q).„ Tertius est HANNS WERLI VON ZIMBER, qui cum aliis anno 1483. et 1484. Palaestinam peragrauit. Hic *Gazeram* eo tempore scribit *Hierosolymorum* ambitum vna vice superasse, in quo cum TVCHERO consentit. Sed sciendum est, *Hierosolymis* miseram tum tristemque fuisse faciem. Addit: *Gazeram* incolis abundasse, multum negotii multosque in ea Christianos et Iudaeos fuisse. „*Gaza*, inquit, *oder* „*Gazera, ist zweymal so gross als Ierusalem, und voll Volks, hat viel* „*Gewerbe, viele Christen und Iuden* r).„ Dicit etiam, se vidisse palatium seu templum olim a SIMSONE dirutum. Sunt et alii, qui id se vidisse fatentur. Sed sine dubio decepti sunt, videruntque rudera aedis cuiusdam magnae, ex *Gaza secunda* residua. Nam ex aetate SIMSONIS adhuc superesse aedium reliquias, nemo mihi vnquam persuaserit.

§. XXXVIII.

Status seculo XVI ex Baumgartenio et Saligniaco.

Ex seculo XVI quinque scriptores αὐτόπται *Gazerae* statum nobis depingant. Primus, MARTINVS A BAVMGARTEN, nobilis Germanus, anno 1507 in Palaestina fuit. Eius tempore *Gazera* adhuc magnitudine *Hierosolyma* superauit; sed non munita, et propter Arabes

p) IOH. TVCHERS *Reise zum heil. Lande*, vid. *Reisebuch des heil. Landes Frankf. am Mayn* 1609. fol. p. 678.

q) BERNH. VON BREITENBACH *Reise* p. 134. vid. ibid.

r) HANNS WERLI VON ZIMBER *vnd anderer Wallfahrt nach Ierusalem, beschrieben von* FELIX FABRI, vid. ibid. p. 290. 291.

Arabes iter ad eam parum tutum fuit. „*Magna est*, inquit, *et hodie* „*ciuitas haec, et maior Hierosolyma, sed immunita, in loco feraciſſimo, haud* „*procul a mari ſita, ſepta vndique hortis amoeniſſimis, qui palmis, malis* „*punicis, malogranatis et aliis arboribus ſunt referti. Viſuntur in ea plu-* „*rima et vetuſta atque magnifica palatia, quaedam integra, ruinoſa quae-* „*dam*[s]). „ Omnia iſta aedificia ex *Gaza ſecunda* ſupereſſe, monere lectorem neceſſe non habeo.

Alter, BARTHOLOMAEVS DE SALIGNIACO, anno 1522 in Palaeſtina hoſpes, teſtimonio ſuo confirmat, Arabes iter in Palaeſtina reddere periculoſum. „*Haec vrbs*, addit, *ad auſtrum ſita eſt in* „*litore maris, valde populoſa, habens figuram ſemicircularem.*„ Quod de figura ſemicirculari refert, apud alios de *Aſcalone* legitur; quare neſcio, annon ea in re *Gazaram* cum *Aſcalone* commutauerit ex errore memoriae. Pergit: „*In hanc omne fere robur Saracenicae gentis con-* „*fertur*[t]). „ Verba haec ſignificare videntur, *Gazaram* eo tempore inter reliqua eius regionis loca eminuiſſe ratione praeſidii Turcici, terram circumiacentem ex ea defendentis; de quo conferenda eſt CHRISTOPHORI FVERERI AB HAIMENDORF relatio, mox adducenda. Anno enim 1517 *Gazara* venit ſub poteſtatem SELIMI, Turcarum Imperatoris, qui eam cum tota Palaeſtina aliisque prouinciis occupauit, victis *Saracenis Aegyptiis*, quibus hactenus regiones illae fuerant ſubiectae, eorumque imperio euerſo. Atque ex eo tempore TVRCAE ſemper vſque ad hunc diem *Gazaram*, propter ſitum commodum, praeſidio firmatam tenuerunt; quod et antea feciſſe videntur *Saraceni Aegyptii*.

§. XXXIX.

Item ex Theueto et Fuerero.

Tertius, ANDREAS THEVETVS, Gallus, anno 1549 iter ſuſcepit, et 1552 adhuc in Palaeſtina fuit. Is *Gazaram* maximam partem

s) MARTINI A BAVMGARTEN IN BRAITENBACH Peregrinatio in Aegyptum, Arabiam, Palaeſtinam et Syriam, *Norimb.* 1594. 4. L. II. c. 3. p. 77.

t) BARTHOL. DE SALIGNIACO Itinerar. Hieroſolym. T. X. c. 4. *Magdeb.* 1587. 4. adiunctum BORCHARDI Deſcriptioni Terrae S.

partem desertam esse scribit, et antiquitates ibi reperiri multas ac splendidas, in quarum numerum refert dirutum a *Simsone* palatium, de quo ante quod sentio dixi. (§. XXXVII.) Porro refert, esse in oppido praefectum quemdam Turcicum, *Sangiacci* titulo vtentem, qui latrocinia Arabum obseruet, locum quotidie infestantium et in montibus vicinis latentium. Addit denique: spatio vnius milliaris gallici a *Gazera* distare *portum* in litore maris mediterranei, cuius supra mentionem feci. (§. XXVI.) *Gazeram* vero a Graecis et Iacobitis habitari, et hos omnes esse linteones, rusticum et inciuile hominum genus u).

Quartus, CHRISTOPHORVS FVRERVS AB HAIMENDORF, Norimbergensis, qui anno 1565 iter suum iniit et 1567 domum rediit, sine dubio optimam de *Gazera* sui temporis reliquit narrationem, cuius argumentum eius ipsius verbis referre liceat. De periculo itineris in ea regione ait: „*Es war sehr unsicher im Lande, vornehmlich wegen der Araber, so auf der Strasse zwischen Rama und Gaza lagen und etliche Reisende ermordet hatten.*“ De situ et ratione oppidi haec memorat: „*Sie liegt auf einem Berglein oder Hügel, sehr lustig, hat an vielen Orten herum andere fruchtbare Hügel und ein schön Thal dazwischen. Unten um den Berg ist es auch ziemlich erbauet. Sie hat noch sehr viel schöne Kirchen, inwendig den meisten Theil mit marmorsteinernen Säulen, so itzund alle Moscheen sind.*“ Sine dubio a Mahomedanis ex ruderibus *Gazae secundae* exstructae, vel reparatae sunt. Pergit: „*Die Stadt ist itzund ein offener Ort, ob sie wohl an etlichen Enden Thore hat. Das Castell liegt vornen am Berge gegen Südost, mit vier Thürmen; aber sonst ist es rund mit Quaterstücken gebauet. Es liegen Ianitscharen darinn. Der Sanjacco wohnet an einem andern Orte der Stadt.*“ Omitto, quae de palatio a *Simsone* diruto sequuntur. (Conf. §. XXXVII.) Addit: „*Es hat ein sehr lustig Ausschen vom Hügel der Stadt hinab in die andern Häuser, und in das Land, welches gleichwohl*

„*an*

u) ANDR. THEVETI Cosmographia Orientis, oder *Beschreibung des ganzen Morgenlandes*, ex gallico idiomate in german. versa a GREGORIO HORST, Giessae 1617. 4. cap. 44. p. 155—157.

»an Gebäuden sehr verstöret.» De aedificiis Gazerae: »Es hat, in»quit, gar schlechte armselige Häuser.» Denique et haec sunt notanda: »Es sind viele Christen da, die haben noch eine ziemlich feine Kirche »Nostra Donna auf dem Berge, und halten sich auf die griechische »Weise x).» Ex his verbis explicandus est ANDREAS THEVETVS, qui Gazeram a Graecis et Iacobitis habitatam scribit.

§. XL.

Nec non ex Cotouico.

Quintus denique, quem ex seculo XVI adduco, est IOANNES COTOVICVS, Vltraiectinus, Iuris Vtriusque Doctor et eques S. Sepulcri Hierosolymitani, qui anno 1598 in Palaestinam profectus est. Is post alios multos obseruat, *Gazam* hodie *Gazeram* vocari. Deinde refert: *Gazeram* eo tempore muro cinctam fuisse. Hinc statuendum est, vel Turcas post *Christophori Fuereri ab Haimendorf* in Palaestina commorationem *Gazeram* cinxisse muro, arcendorum Arabum caussa; vel tempore *Fuereri* murum oppidi tam humilem et male comparatum fuisse, vt muri nomen eum mereri non putauerit. Posterius maiorem veritatis speciem habet. Nam, vt sequentis seculi scriptorum facta inter se collatio docet, et adfirmari et negari poterat, *Gazeram* habere murum. Pergit Cotouicus: »*Gaza Sanjaccatus* »*hodie titulo insignis et arce munita. Regio omnis sic satis foecunda, de*»*serta tamen et inculta vt plurimum* y).» Conueniunt haec cum iis, quae FVERERVS nobis retulit. (§. XXXIX.) Tantum in eo COTOVICVS et omnes itinerariorum scriptores errant, quod *Gazam* hodiernam vel *Gazeram* putant esse residuum *Gazae* antiquioris, vel in libris sacris vel in profanis obuiae, et distinguere nesciunt inter Gazam *primam*, *secundam* et hanc *tertiam*.

§. XLI.

x) CHRISTOPH. FVERERS VON HAIMENDORF *Reisebeschreibung in Aegypten, Arabien, Palaestina, Syrien*, etc. *Nürnb.* 1646. 4. p. 169. — 172.

y) IO. COTOVICI Itinerar. Hierosol. et Syr. *Antwerp.* 1619. 4. mai. Lib. III. c. I. p. 328.

§. XLI.

Status Gazae hodiernae ſeculo XVII ex Rogero.

Statum *Gazae* vel *Gazerae* ſeculo XVII EVGENIVS ROGERVS et THEVENOTVS nobis deſcribunt. Prior, Miſſionarii munere functus, circa annum 1620 in Palaeſtinam venit. Alter anno 1658. ibi commoratus eſt. ROGERVS refert: *Gazeram* tempore peregrinationis ſuae *Palaeſtinae* oppido nulli magnitudine et incolarum numero ceſſiſſe, ſed muro moenibusque caruiſſe, ſolum aggere terreno cinctam fuiſſe, ad arcendos Arabes praedatores oppido infenſiſſimos. Erant eo tempore homines variarum gentium in hoc oppido, quod rectius pagum vocares, inter reliquos eius regionis pagos eminentem: *Mahomedani*, qui ſeptem tenebant templa, *Graeci*, *Iudaei*, *Syri* et *Samaritani*. Nam cuiuis ibi licet more ſuo Deum colere, modo *Turcis* tributum ſoluat. Qui Hieroſolymis Cairum proficiſcebantur, *Gazerae* totius itineris victum adcurare ſibi debebant, quoniam in via iſta centum milliarium gallicorum non niſi quatuor pagi exigui hominum ſylueſtrium et nigrorum reperiebantur. Aedes Gazarenſes optimae erant humiles, male materiatae, nullo artificio exſtructae, lapidibus aſperis, figura quadrata et orientalium more tecto plano gaudentes, interius concameratae. Multae aliae ruſticorum noſtrorum caſulis ligneis erant ſimiles [z]). Haec fuit facies *Gazerae*, quae tum oppido nulli in *Palaeſtina* ceſſit magnitudine et numero incolarum! Patet vero exinde miſera *Palaeſtinae* oppidorum omnium eius temporis facies.

§. XLII.

Theuenoti relatio, et ſtatus hodiernus.

Audiamus nunc etiam THEVENOTVM. Is primo de periculo itineris circa *Gazam* loquitur. Hanc deinde oppidum exiguum vocat: »*La ville*, inquiens, *eſt fort petite.*» De ruderibus *Gazae ſecundae*,

z) La Terre ſainte, par Mr. EVGENE ROGER, à Paris 1664. 4. Liv. I. ch. 16. p. 185. 186.

dae, quibus hodierna ſuperſtructa eſt, memoratu digna refert. „*Cette* „*ville*, inquit, *étoit autrefois fort illuſtre, comme on peut voir par ſes* „*ruines. Car tout y eſt plein de colonnes de marbre de tous côtés, et même* „*j' y ai vû des cimetieres, dont tous les ſepulcres étoient entierement de* „*marbre* etc.„ Caeterum quomodo Gazarenſes in vſum ſuum convertant ſplendida vrbis dirutae rudera, et quantus hodie ſuperſit eorum numerus, apud ipſum legere poſſunt qui volunt. De caſtello conſentit cum aliis, quos iam recenſui. Praeterea refert, templum *Graecorum* principale ſatis amplum eſſe, et *Armenos* quoque aedem ſacram habere, *Mahomedanos* vero ſeptem templa, quae *Moſcheas* vocant [a]).

Haec fere ſunt, quae de *Gaza* hodierna vel *Gazera* hactenus reperire potui in itinerariis, et quae propterea velut in tabula propoſui, vt lector de vera *Gazae* huius relatione erga *Gazam veterem* ſeu *primam*, tempore ſcriptorum ſacrorum Vet. Teſtamenti florentem, et erga *ſecundam*, quae fuit prioribus poſt C. N. ſeculis, recte iudicare, totamque hiſtoriam Gazenſem vſque ad noſtram aetatem ſibi repraeſentare, atque hac ratione bene praeparatus tandem de impletione Zephanianae de *Gaza* praedictionis exactum et hiſtoriae conſentaneum ferre iudicium poſſit. In ſequentibus itinerum ſcriptoribus, quos vidi, ſolum nomen *Gazae* nonnunquam legi, ſine eius deſcriptione. Miror, RICHARDVM POCOCKIVM in ſua orientis deſcriptione ſatis copioſa, nuper ex anglico in noſtrum ſermonem translata, nihil de *Gaza hodierna* commemoraſſe, etſi is cum cura vrbium locorumque olim illuſtrium rudera et antiquitates inueſtigauerit. Inde vero colligo, vel eam hodie in *Palaeſtina* nullius fere nominis eſſe, vel periculum itineris *Arabum* latronum cauſſa Anglum cel. impediuiſſe, quo minus *Gazam* profectus ſit. Facies eius adhuc eadem eſſe videtur hodie, quae ſeculo ſuperiore fuit. Eſt nimirum *Gaza hodierna* pagus triſtis, ſplendidis *Gazae ſecundae* ruinis ſuperſtructus, inter reliquos regionis illius viculos eminens, tum propter maiorem ambitum

a) Voyages de Mr. DE THEVENOT I. Partie, à Paris 1689. 8. Liv. II. chap. 35. 36. p. 567 — 569.

ambitum et incolarum numerum, tum propter praefectum in ea Turcicum praesidiumque militare. Frequentatur vero non solum propter *viam*, quae per eam ducit in *Aegyptum*, sed et propter *situm* commodiorem, qui facit, vt ex ea melius obseruari possint *Arabes* praedatores, infensissimi *Turcarum* hostes, totam *Palaestinam* peruagantes et latrociniis omnia implentes. Igitur vniuersa historia Gazensi in ordinem redacta, iam tutius rectiusque iudicare possumus de impletione Zephanianae de *Gaza* praedictionis; cuius ad inuestigationem bono cum Deo, non illotis (quod dicunt) manibus, sed satis instructi et bene praeparati, nunc accedimus.

§. XLIII.

XV. Ex vniuerso historiae Gazensis contextu de impletione Zephanianae de Gaza עזובה *futura praedictionis iudicare possumus.*

Iam historiae hactenus propositae vsum videbimus in explicando vaticinio nostro. Sola enim historia haec viam nobis monstrare potest, verum de impletione iudicium laturis; quare nemo mirabitur, me illam tam studiose hactenus inuestigasse et in ordinem redigere tentasse. Quodsi vero vniuersum historiae Gazensis contextum perspexerimus, patebit, *Zephaniae de Gaza* עזובה *futura* praedictionem *non semel* tantummodo aut vno ictu, sed *successiue* potius, per partes et gradus, impletam esse, donec tandem vrbs penitus vastata et ab omni habitatore deserta ac derelicta fuerit. Pertinent enim ad hanc impletionem omnes ciuium priuationes omnesque clades *Gazae* illatae, non semel, sed saepius, historia docente. Nec impletio solum restringenda esse videtur ad *Gazam veterem*, seu *primam*, quae tempore ZEPHANIAE floruit, sed etiam ad *secundam*, quae in locum *primae* successit. Patet enim ex historia, *Gazam secundam* aeque, ac *primam*, factam tandem esse desertam ac derelictam, diuque in eo statu mansisse. Denique considerandum est, *Gazam hodiernam* vel *tertiam* veritati praedictionis Zephanianae plane nihil detrahere. Vidimus enim, *Gazam* hanc cum *prima* et *secunda* comparatam nihil esse, nisi viculum miserum, ruinis *Gazae secundae*

recentiori demum aetate superstructum, postquam haec diu deserta ac sepulta iacuerat. Sed opus est, vt rem paulo enodatius tractemus, et *impletionis varios gradus ipsos* ex historia in lucem proferamus.

§. XLIV.

Gaza vetus post Zephaniae aetatem gradatim עזובה *facta est*
a) ab Aegyptiis.

Quid *Gazae* euenerit anno *Iosiae* regis vltimo a PHARAONE NECO Aegypti rege expugnatae, silente historia nescimus. IEREMIAS cap. XLVII, 1. docet, PHARAONEM *cladem* vrbi *intulisse*, id quod verbum hebraeum יכה indicat. Res ista a nullo *Pharaone*, nisi ab eo, qui NECHO et NECVS vocatur [b]), facta esse potest; neque alio tempore, nisi sub finem regni IOSIAE, regis Iudae, cum ille, post *Assyriorum* imperium euersum, contra *Chaldaeos* pugnandi et *Carchemisch* vel *Cercusii* obsidendi caussa, *Euphratem* cum exercitu peteret [c]). Sed cur cladem PHARAO tunc intulerit *Gazae*, coniectura adsequi mihi videor. Nempe PHILISTAEI hactenus sine dubio cum aliis orientis gentibus *Assyriorum* imperio summo fuerant subiecti. CHALDAEI vero cum *Niniuen* et *Assyriorum* imperium euertissent, simul tacite ius quoddam dominii sibi parauerant in omnes illas gentes, et hinc etiam in PHILISTAEOS. Iam cum AEGYPTII, qui semper de principatu cum *Assyriis* contenderant, et nunc etiam cum *Chaldaeis* Assyriorum succesforibus de eodem certaturi *Euphratem* petebant, per PHILISTAEORVM terram exercitum ducere vellent; fortasse hi, *Chaldaeorum* potentiam et vindictam metuentes, AEGYPTIOS transitu prohibuerunt, atque hac ratione PHARAONEM ad iram prouocarunt, vt GAZAM, cuius regionem permeare debuit, obsideret et expugnatam ferro ac sanguine impleret. *Gaza* tum sine dubio ciuium suorum iacturam fecit non exiguam. PHARAO enim vindictae cupidus certe non ci-

vibus

b) II. Reg. XXIII, 29. 33. 34. IEREM. XLVI, 2.

c) Conf. II. Reg. XXIII, 29. et IEREM. XLVI, 2. cum IER. XLVII, 1.

vibus peperciſſe videtur. Nec dubitari poteſt, verbum יכה, quo IEREMIAS vtitur, in primis caedem et occiſionem hominum ſignificare. Ergo tunc *Gaza* quodammodo עזובה reddi coepit, priuatione partis cuiusdam ciuium ſuorum.

§. XLV.

b) A Chaldaeis, et c) fortaſſe etiam a Perſis.

Paullo poſt CHALDAEIS orientem vniuerſum, et *Palaeſtinam* quoque, bello vaſtantibus, idem GAZAE contigit, vt inſignem a victoribus cladem acciperet; id quod ex *Ierem.* XLVII, 5. coll. *Ier.* XXV, 20 patet. Videtur eo tempore iterum magno ciuium numero priuata eſſe. Id enim IEREMIAM verbis: באה קרחה אל-עזה cap. XLVII, 5 praeſignificaſſe puto; quae praedictio, cum diuina eius origo et auctoritas poſtulet, vt certe impleta ſit eo tempore, quo impleri debuerit, hiſtoriae loco nobis hodie eſſe, et hinc in teſtimonium facti adduci poteſt. CHALDAEIS Palaeſtinam ſuae poteſtati ſubiicientibus, forte GAZA, more ſuo, quem ſemper ſervaſſe videtur, eis reſtitit, et ſic occaſionem victoribus dedit exercendae vindictae. Videntur vero hi non ſolum magnam *Gazenſium* partem occidiſſe, ſed aliam quoque in captiuitatem abduxiſſe; vt cum *Iudaeis* aliisque gentibus victis eos feciſſe conſtat. Atque hac ratione CHALDAEI non parum contulerunt, vt GAZA עזובה fieret.

Quid poſtea, PERSIS in Syriam et Palaeſtinam irrumpentibus, GAZAE acciderit, quae ſola tum hoſtibus potentiſſimis reſiſtere auſa eſt obſidionemque pertulit [d]), hiſtoria non indicat. Nihilominus tamen veriſimile mihi videtur, PERSAS Gazenſium audaciam et reſiſtendi cupiditatem non ſine animaduerſione praetermiſiſſe. Quare et ipſos ſuum contuliſſe non dubito ad implendam ZEPHANIAE praedictionem, vel ad reddendam *Gazam* עזובה.

Interea

d) Vid. VALESII Excerpta ex Polybio, loco ſupra §. VII deſcripto. Conf. §. XII.

Interea nec a CHALDAEIS, nec PERSIS, tantam *Gaza* accepit cladem, quin eam reparare et nouas colligere vires potuiſſet. Hinc, *Dario Hyſtaſpide* regnante, ZACHARIAS cap. IX, 5. nouum contra eam vaticinium edidit. Et ſuperiore loco ex hiſtoria probavi, *Gazam* tempore ALEXANDRI M. tam munitam fuiſſe, vt iterum ſola poſt *Tyrum* in his regionibus tam potenti victori reſiſtere et menſium duorum obſidionem perferre potuerit. (§§. VII et XII.)

§. XLVI.

d) *Ab Alexandro Macedone.*

At vero idem ALEXANDER ille MACEDO maximum ei vulnus ac mortiferum fere inflixit, et ad impletionem vaticinii noſtri forte plus contulit, quam qui hactenus vrbem hanc infeſtauerant omnes. Etſi enim eam non penitus deleuit, vel, vt nonnulli a STRABONE decepti ſcribunt, in ſempiternum tumulum vertit, quem quidem errorem ſupra refutaui; (§. XV.) tamen eius faciem ita immutauit tantamque in ea ſtragem edidit, vt, niſi opem ex regionibus finitimis accepiſſet, ſine dubio vrbs iam tum penitus euanuiſſet. Conſulendi ſunt ea de re auctores, quorum loca iam ſupra allegaui. (§§. XII. XV.) Rem quia nondum copioſe ſatis narraui, ſaltem ARRIANI locum adiiciam ex verſione NICOLAI BLANCARDI, qui memoratu dignus eſt. Poſt quam hiſtoriam obſidionis et expugnationis *Gazae*, factae per ALEXANDRVM M., narravit, ſequentia addit: „*Gazenſes, vrbe iam ab hoſtibus occupata, conglo-*„*bati nihilominus pugnabant, eoque ipſo loco, quo quiſque conſtiterat, vi-*„*tam pugnans amiſit. Alexander, vxoribus eorum et liberis in ſeruitutem* „*redactis, coloniaque ex finitimis in vrbem deducta, ea tamquam praeſi-*„*dio ad bellum eſt uſus* e).„ CVRTIVS quidem: „*Cecidere*, inquit, „*Perſarum Arabumque circa decem millia, nec Macedonibus incruenta vi-*„*ctoria fuit* f).„ Et HEGESIAS ſex tantum millia trucidata ſcribit

e) ARRIANVS de exped. Alex. M. Hiſtor. L. II. p. 154. edit. NIC. BLANCARDI Amſtel. 1668. 8.

f) CVRTIVS de rebus geſtis Alex. M. L. IV. c. VI. p. 189. edit. *Lugd. Bat.* 1696. 8. apud *Petr. van der Aa.*

bit g). Vterque vero vel numerum occisorum nimis exiguum tradit, vel solos milites peregrinos indicat, omissis ciuibus in expugnatione vrbis interfectis. Nam nisi generatim plures periissent, cur quaeso ARRIANVS diceret: *Alexandrum coloniam ex finitimis in vrbem deduxisse?* Videmus igitur, quantum contulerit ALEXANDER M. ad implendam ZEPHANIAE praedictionem. Scilicet *Gazam* incolis multis priuauit, et hac ratione effecit, vt et eo tempore per ipsum quodammodo עזובה fieret.

§. XLVII.

e) *Ab Alexandri M. successoribus, et f) a Maccabaeis.*

Sub ALEXANDRI M. successoribus, *Syriae* et *Aegypti* regibus, GAZA quid experta sit, in bellis ab his inter se gestis, non satis luculenter nobis constat. Supra ex historia docui, ANTIGONVM eam expugnasse resistentem, PTOLOMAEVM vero SOTEREM eius vulsisse munimenta, posteaque ANTIOCHVM M. vrbe obsessa et expugnata eam militibus diripiendam et vastandam tradidisse magnamque ei cladem intulisse. (§. XII.) Saltem hac postrema occasione incolis forte non paucis priuata, et sic certo gradu עזובה reddita esse videtur.

Sed pro nihilo haec omnia ducenda credes, si, quae a MACCABAEIS Gaza pertulit, consideraueris. Hi enim ad id nati videbantur, vt totam praedictionem explerent. Primus eorum, qui *Gazam* infestauit, IONATHAS, vrbem tantum obsedisse, et excursionibus factis terram circumiacentem vastasse ac incendisse legitur h). Sed frater eius SIMON plus fecit. Nam si cum HENRICO NORISIO locum 1 *Maccab.* XIII, 43 seqq. de *Gaza* nostra acceperis, quod quidem PRIDEAVXIVM in dubium vocare supra monui; (§. XIII) SIMON, *Gaza* capta, ciuibus ea conditione pepercit, vt omnes

g) Vid. Notae ad CVRTIVM, l. c. c. V. n. 5. p. 647. Conf. 1. MACC.
h) IOSEPH. Ant. Iud. L. XIII. XI, 61.

omnes vrbe excederent, quam *Iudaeis* incolendam dedit [i]). Postea tamen, Iudaeorum viribus per ANTIOCHVM SEDETEM Syriae regem attritis, *Gazenses* a SIMONE expulsi vndique suam in patriam redierunt, sedes pristinas occupantes [k]). Tali modo GAZA tum breui temporis spatio *bis* עזובה facta esset, derelicta primo ab incolis suis domesticis, et postea, his redeuntibus, a Iudaeis, qui sedes eorum aliquandiu possedissent. Sed cum locus 1 *Macc.* XIII, 43 seqq. critica disquisitione egeat, ante quam eo vti possimus in historia; nolo ei inhaerere, et ex eo probare, quod huc fortasse non pertinet.

§. XLVIII.

Praecipue vero g) ab Alexandro Iannaeo, qui eam penitus deleuit et gradu perfectissimo עזובה *reddidit.*

Tandem venit ille dies *Gazae veteri* fatalis, qui totam vrbem eiusque ciues omnes sepeliret, et ex עזה gradu ac sensu perfectissimo עזובה redderet. Factum id esse per ALEXANDRVM illum IANNAEVM Iudaeorum regem, *Ioannis Hyrcani* filium, *Simonis* nepotem, circa annum 93 ante Christum, supra iam satis copiose ex historia docui. (§. XIV.) Is *Gazam* annua obsidione oppugnatam tandem proditione cepit, ac ciuibus omnibus interfectis, ita vt eorum, qui in vrbe erant, ne vnus quidem euaderet, eam penitus euertit. Nolo occasionem rei caussamque denuo referre, sed ea tantum lectorum in memoriam reuocare volo, quae ipsum vrbis ac ciuium eius interitum attingunt. Haec enim ad institutum meum pertinent, vt iudicare de euentu vaticinii nostri possimus. Rem IOSEPHVS narrat, clarissimus ille rerum iudaicarum scriptor [l]). ALEXANDER vrbem *Lysimachi* cuiusdam proditione captam ingressus, milites suos in ciues immittit. Illi igitur per vrbem dispersi,

i) I MACCAB. XIII, 47. 48. Conf. c. XIV, 34. Conf. NORISIVS in Anno et Epochis Syromaced. Diss. V. p. 491. 492.

k) Conf. NORISIVS l. c.

l) IOSEPHVS Ant. Iud. L. XIII. c. 13. p. 670. Conf. de Bello Iud. L. I. c. 4. n. 2. p. 60.

persi, quos inueniunt, interficiunt, nemini parcentes. Ciuium nonnulli ipsi domos incendunt, ne ex his spolia supererent, quibus potiretur hostis. Alii liberos vxoresque manibus suis interficiunt, ne in seruitutem abducerentur. Tandem ciuibus omnibus crudeliter trucidatis, iis etiam qui vrbem prodiderant; (*Alexander* enim nemini pepercit, nec ipsis deditionis auctoribus;) supererant adhuc quingenti senatores vel consiliarii vrbis, qui in fanum Apollinis confugerant. Verum nec his ALEXANDER pepercit, sed occisis omnibus, τὴν πολιν αὐτοις ἐπικατασκαψας eam solo aequauit ac funditus euertit. Atque ab eo tempore vrbs deserta et ab omni habitatore derelicta, vel vere עזובה mansit, donec triginta amplius annis post POMPEIVS M. in has regiones veniens eam instaurari iussit. (§. XVI.)

§. XLIX.

Etiam Gaza secunda sensu perfectissimo עזובה *facta est.*

Successit igitur *noua Gaza* in locum prioris, quae etiamsi non eodem prorsus solo condita fuerit, vt magna cum verisimilitudine docuisse mihi videor, (§§. XXI. sqq.) tamen, quia in locum veteris iussu Romanorum successit (§. XVI) huiusque nomine et honore digna fuit habita, fata eius tanquam huc etiam pertinentia sunt consideranda. Sed et in hac noua vrbe Deus veritatem praedictionis suae per ZEPHANIAM factae vindicauit, eam tandem עזובה reddens sensu perfectissimo. Etsi enim satis diu floruit, ad tempora vsque *Saracenorum*, (§§. XVI — XX) tamen post seculum VII euanuit, diuque deserta ac sepulta mansit, ita vt seculo XII temporibus expeditionum cruciatarum eam *plane dirutam et omni habitatore carentem* inuenirent Christiani. Quomodo vero ad hunc statum tristem peruenerit, non nisi coniectura hodie iudicari potest. Dixi iam §. XX, *sensim* id ac *pedetentim* euenisse videri, partim per *bella* a Saracenis inter se et cum graecis imperatoribus gesta, partim per *terraemotus*, quos *Saracenorum* temporibus Syriam ac *Palaestinam* vastasse, loca auctorum probant, ibidem a me indicata. Quod

autem temporibus expeditionum cruciatarum *Gaza secunda* inuenta sit sepulta ac deserta, testantur αὐτοπαι, qui rudera eius oculis conspexerunt, quorum loca memoratu digna sunt, quoniam praedictioni Zephanianae ad amussim respondent. WILLERMVS enim, seculo XII *Tyri* in Phoenicia archiepiscopus, ita de GAZA: „*Fuit*, „inquit, *vrbs antiqua Philistaeorum*, — *cuius etiam hodie vetustae nobi-*„*litatis in nobilibus aedificiis multa exstant argumenta.* NB. *Iacuit au-*„*tem multis temporibus deserta, ita vt nec vno inco-*„*leretur habitatore*, etc. m)" Alio loco eam *dirutam et habitatoribus carentem* vocat, additque: „*Fuerat eadem Gaza ciuitas antiquis-*„*sima, vna de quinque vrbibus Philistiim, aedificiis praeclara, cuius anti-*„*quae nobilitatis in ecclesiis et amplis domibus, licet dirutis, in marmore*„*et magnis lapidibus, in multitudine cisternarum, puteorum quoque aqua-*„*rum viuentium, multa et grandia exstant argumenta* n)." Idem testatur IACOBVS DE VITRIACO, iisdem temporibus episcopus *Acconensis*, post *Romae* Cardinalis, vbi seculo XIII diem obiit, isque *Gazam* scribit seculo XII fuisse *dirutam et habitatoribus vacuam* o). En perfectissimam vocis עזובה explicationem!

§. L.

Gaza hodierna, vel tertia, veritati praedictionis nihil detrahit.

Accidit quidem, vt iisdem temporibus expeditionum cruciatarum seculo XII eo loco, vbi ruinae *Gazae secundae* conspiciebantur, a Christianis *noua* quaedam *Gaza* conderetur, quae *tertia* mihi vocatur; atque ea per varias mutationes ad nostram vsque aetatem mansit. Sed semper tam humilem miseramque speciem prae se tulit, vt nulla prorsus memoria digna foret, nisi nomen tam splendidum gereret. Hinc nemo putet, *Gazam* hanc *nouissimam* veritati

m) WILLERM. TYR. Histor. L. XX. c. 21. p. 987.
n) WILLERM. TYR. Hist. L. XVII. c. 12. p. 917.
o) IAC. DE VITRIACO Hist. Hierosol. abbreu. Lib. I. c. 40. p. 1070.

veritati praedictionis Zephanianae detrahere quidquam. Nam si legeris omnes, qui de ea locuti sunt, itinerariorum scriptores, eam in optimo statu suo inuenies fuisse nihil aliud, nisi pagum vel vicum miserum tristemque, splendidis *Gazae secundae* ruinis superstructum, quem si quis cum *Gaza prima* vel *secunda* comparare vellet, certe maiori iure *Hierosolymam* post expeditiones cruciatas comparare posset cum *Hierosolyma prima*, quae inde a temporibus DAVIDIS floruit vsque ad bellum Chaldaicum, et cum *secunda*, seculo primo christiano a Romanis deleta. Vt paucis omnia absoluam, ipsa *Gaza hodierna* propterea condita videtur, vt de veritate praedictionis Zephanianae quemuis moneret, occasionem non solum incolis, sed et viatoribus praebens, rudera *Gazae desertae* cum admiratione contemplandi; quod fieri vix posset, si nemo ibi habitaret, tum propter vastitatem terrae ac regionis totius, tum propter Arabes praedatores, caedibus et latrociniis omnia implentes. Caeterum eadem *Gaza hodierna* eo ipso tempore, quo maxime floruit, non solum propter rudera quibus superstructa est, sed et propter miseram suam faciem in se spectatam, itinerariorum scriptoribus dicta fuit *deserta*, sicut etiam regio circumiacens. Nam seculo XIV RVDOLPHVS Canonicus Suchensis scripsit: „*Gaza liegt itzo wüste* p).“ Seculo XVI ANDREAS THEVETVS eam maximam partem *desertam* vocauit q). De regione vero eodem seculo CHRISTOPHORVS FVRERVS AB HAIMENDORF retulit: „*das Land ist an Gebäuden sehr verstöret* r).“ Et IOANNES COTOVICVS: „Regio omnis sic satis foecunda, *deserta tamen et inculta vt plurimum* s).“ Igitur ipsi αὐτοπται pro veritate vaticinii nostri

p) RVDOLPH. Beschreib. der Reise ins gelobte Land p. 832. Conf. §. XXXVI. h. diss.

q) ANDR. THEVET. Cosmogr. Orientis, c. 44. p. 155. Conf. §. XXXIX. h. diss.

r) CHRISTOPH. FVRER VON HAIMENDORF Reisebeschreib. in Aegypten, Arabien, Palaestina, etc. p. 172. Conf. §. XXXIX. h. diss.

s) IO. COTOVIC. Itinerar. Hierosol. et Syr. L. III. c. 1. p. 328. Conf. §. XL. h. diss.

noſtri pugnant, eiusque impletionem factam declarant. Nec dubium mihi eſt, *Gazam hodiernam* diu in priſtinam ſolitudinem relapſam et hodie a nemine frequentatam fore, niſi *via* per eam duceret in *Aegyptum*, eiusque ſitus *Turcis* commodus eſſet ad obſervandos *Arabes*, qui *Palaeſtinam* totam peruagantes *Turcis* ſe praebent hoſtes infenſiſſimos.

Id 6020
(I)
X 2284726

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-791630-p0028-4

DE

GAZA DERELICTA FVTVRA

AD ILLVSTRANDVM LOCVM ZEPH. II, 4.

DISSERTATIO POSTERIOR.

QVAM

S. REV. ORDINIS THEOL. AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS

D. XXI. APRIL. A. CIↃIↃCCLXVIII

CONSEQVENDIS

EXHIBET

IOANNES FRIDERICVS BVRSCHER

SS. THEOL. LICENT. ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

DESIGNATVS, PHILOS. PROF. EXTRAORD. COLLEGII MAIORIS

PRINCIPVM SODALIS ET H. T. PRAEPOSITVS.

LIPSIAE,

LITTERIS VDALRICI CHRISTIANI SAALBACHII.